SAC. RITVVM

CONGREGATIONE

SIVE

Eminentiſſimo, & Reuerendiſſimo D.

CARDINALI CHISIO

LIMANA

Canonizationis B. Franciſci Solani Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſeruantia.

POSITIO

SVPER DVBIO

An conſtet de validitate Proceſſus Remiſſorialis Cordubenſis poſt indultam venerationem confe-ɛti; Teſtes in eo ſint ritè,& reɛtè examinati;& Iura in eodem produɛta ſint legitimè compulſata in caſu, &c.

ROMAE, Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. 1687.

SVPERIORVM PERMISSV.

L I M A N A

Canonizationis Beati Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci.

INFORMATIO SVPER DVBIO.

An constet de Validitate Processus Corduben. post indultam venerationem confecti; Testes in eo sint ritè, & rectè examinati, & iura in eodem producta sint legitimè compulsata, in casu &c.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

POST emanatum Indultum Apostolicum sa: me: Clementis X. 25. Ianuarij 1675. super Beatificatione Beati Francisci Solani Ordinis Minorum S. Francisci, eamque solemniter habitam die 30. Iunij eiusdem anni in Sacrosancta Vaticana Basilica, subindeque factam die 24. Iunij 1683. per Eminentissimum, & Reuerendissimű D. Cardinalem Chisium Ponentem plenam Relationem in hac Sac. Congregatione super statu huius Causæ, iuxtà præscriptum in Decretis sa: mem: Vrbani VIII. *pag. 54. in fin.*, emanauit Decretum posse, si Sanctissimo placuerit, signari Commissionem ad effectum prosequendi Causam Canonizationis, & conficiendi Processus super ijs, quæ superuenerunt post indultam eidem Beato Venerationem, ab eodem Sanctissimo successiuè signatam die 10. Septembris tenoris prout *in Summario num.* 1. cuius Commissionis vigore die 8. Octobris eiusdem anni concessis per Sac. Congregationem, & expeditis litteris Remissorialibus, & Compulsorialibus, quarum tenor datur *Summario num.* 2. directis Episcopo Cordubensi, & quatuor Dignitatibus ad prædictum effectum, eisdem præfixo termino vnius anni ad illum complendum, cùm superuenerit dicto Episcopo mala valetudo, fuerunt obtentæ die 7. Iunij 1684. à Sac. Congregatione aliæ litteræ, quarum vigore fuit in locum dicti Episcopi subrogatus eius Vicarius Generalis, vel Nuncius Apostolicus; in casu verò eius obitus fuit subrogatus Vicarius Capitularis, à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Cordubensis eligendus, & harum litterarum tenor datur *Summario num.* 3. Quia verò ex prædicto, & alijs impedimentis iam erat elapsus dictus terminus, & quidem ante Processus inchoationem, fuit à Sac. Congregatione sub die 6. Aprilis 1685. datus alius terminus, cuius

ius tenor habetur dicto Summario num. 4. & intrà illum fuit inchoatus, completus, clausus, sigillisque munitus dictus Processus; & successiuè transmissus ad Vrbem, exhibitus fuit in actis huius Sac. Congregationis, à qua, instante Admodum Reu. Patre Fr. Francisco Rossellon dicti Ordinis Sancti Francisci Procuratore Generali Indiarum, in hac Causa specialiter constituto, prout ex Mandato, de quo dicto Summario num. 5. emanauit sub die 23. Decembris 1686. Decretum pro eius aperitione ser. ser. Cùm igitur hodiè in Sac. Congregatione Ordinaria, ex speciali Decreto Sanctissimi emanato die 28. Februarij 1687, de quo in dicto Summario num. 6., contingat discuti supradictum Dubium subscriptum ab Eminentissimo Ponente, & cum Reuerendissimo Domino Fidei Promotore concordatum, pro affirmatiua Resolutione supplicatur, cùm ex reuolutione dicti Processus, & aliorum Actorum sit vndique iustificata.

Siquidem quoad primam partem Dubij hęc elucet ex concursu omnium, quæ de iure, & de forma dictarum Remissorialium exiguntur: concurrit enim primò tam Iurisdictio Sac. Congregationis delegantis, hausta ex dicta Commissione Summario d. num. 1. quàm Episcopi Corduben. & Vicarij Capitularis in eius defuncti locum subrogati, necnon aliarum quatuor Dignitatum Iudicum Subdelegatorum, coram quibus fuit confectus Processus, innixa dictis Remissorialibus, ac Subrogatorijs Summar. dictis numeris 2. & 3. Vlteriùs docetur dictos Iudices Remissoriales, & Subdelegatos, semper processisse ad instantiam dicti Adm. Reu. Patris Francisci Rossellon Procuratoris legitimè, & specialiter constituti ab huiusmodi facultatem habente, videlicet à Reuerendissimo P. Iuliano Chumillas Commissario Generali totius Ordinis S. Francisci d. Summario num. 5. ac semper citatis in quolibet actu ab initio vsque ad complementum Processus ambobus, vel saltem vno ex Subpromotoribus, altero nominato à Reuerendissimo Promotore in suis litteris Proc. fol. 25. nempè Nicolao de Salsedo Promotore Fiscali Mensæ Episcopalis: Altero deputato à Reuerendissimo Episcopo Cordubensi in vim litterarum dicti Reuerendissimi Promotoris, de quibus Process. fol. 60. & seq. nempè Andrea Raphaele de Arcagosta, cuius deputatio legitur d. Processu fol. 27. tergo, & 69. & post huius absentiam Priore Matthæo Soriano, in locum dicti Andreæ vt supra deputato Proc. fol. 985. & seq. Denique habetur, quod ad omnes, & singulos actus processum fuit distinctè per Notarium Actuarium Ioannem de Zaldua & Gomez à dictis Iudicibus Remissorialibus deputatum dicto Proc. fol. 27. ter. & 69. ad vnguem seruata forma iuris, & in dictis Remissorialibus præscripta. Quibus tribus concurrentibus in dubium reuocari nequit Processus validitas, Verall. in famigerata decis. 260. par. 2. quem sequitur Lezan. cons. 1. n. 110.

Quod autem in facto ita contigerit, prout supponitur, præsefert Summarium restrictiuum datum dictis Eminentissimo Ponenti, ac Reuerendissimo Promotori, ac ipsa lectura Processus, ex quibus patet, quod d. Pater Rossellon die 4. Septembris 1685. admissus ad audientiā d. Episcopi Cordubensis per Petrum Franciscū Guarnica Notar. Curię Episcopalis corā eodem institit pro nominatione quatuor Dignitatum in executionem dd. Remissorialium Sacræ Congregationis Rituum, directarum dicto Episcopo, & quatuor Dignitatibus ab eodem deputandis Proc. fol. 12. & 13. in vim cuius facultatis dictus Episcopus nominauit DD. Recaldam Archidiaconum Cathedralis Cordubensis, Ioannem Merini Archidiaconum de Castro, Didacum Baruelos & Cardena Magistrum Scholæ dictæ Cathedralis, & Franciscum Arias Cantorem eiusdem,

qui

qui omnes de mandato Episcopi intimati, die 6. eiusdem munus acceptauerunt *d. Proc. à fol.* 13. *ter. ad fol.* 16. Die verò 7. eiusdem ad instantiam dicti Procuratoris fuit assignata hora audientiæ, & Aula Episcopalis pro loco eiusdem ad actum præsentationis dd. Remissorialium, dictaque assignatione notificata cuilibet ex Dignitatibus, Promotori, & Causæ Procuratori, existentibus omnibus in dicta Aula, fuerunt præsentatæ dictæ litteræ Sac. Congregationis vna cum litteris Reuerendissimi Promotoris, & recognitis ambobus Plicis ab extra cum eorumdem descriptione, Iudices Remissoriales mandarunt vtrumque Plicum aperiri, & reperto in illo Reuerendissimi Promotoris altero Plico Interrogatoriorum clauso, sigilloque munito, Iudices Remissoriales eadem Interrogatoria sic clausa consignarunt dicto Nicolao de Salçedo Promotori Fiscali, ordine iniuncto de non aperiendo, nisi in actu examinis Testium, & hæc omnia habentur *Proc. à fol.* 16. *vsque ad* 25. Subinde dictus Promotor Fiscalis munus acceptauit Subpromotoris, protestando in ipso limine acceptationis obseruantiam Decretorum sa: me: Vrbani VIII. & Nouissimorum Sanctissimi D. N. *fol.* 27. vbi etiam habetur acceptatio Iurisdictionis tam Episcopi, quàm Dignitatum se declarantium Iudices competentes, & deputantium in Notarium Actuarium Ioannem de Zaldua & Gomez, in alterum Subpromotorem Andream Raphaelem de Arcagosta, & in Cursores Didacum Raphaelem de Acosta, & Ioannem de Llara, qui omnes inibi præsentes proprium munus acceptarunt *à fol.* 27. *ad* 29. & respectiuè *fol.* 69.

Dictus verò Andreas Subpromotor, & Ioannes Actuarius docuerunt de eorum Priuilegijs Doctoratus, & Notariatus *Proc. fol.* 68. Quorum tenor habetur *fol.* 101. *&* 106. In eadem audientia fuerunt præsentatæ litteræ tam subrogationis Vicarij Generalis, seù Nuncij Apostolici in casu impedimenti Episcopi, & Vicarij Capitularis Sede Vacante in casu obitus eiusdem, quàm concessionis noui termini, productumq; Mandatum Procuræ, quorum tenores fuerunt in Processu registrati, nempe Remissorialium *fol.* 35. Articulorum *fol.* 51. Litterarum Reuerendissimi Promotoris *fol.* 60. Mandati Procuræ *fol.* 88. *ter.* Litterarum Subrogationis, & Concessionis noui termini *fol.* 92. *&* 96. *vtrobique tergo*. Fuit quoque per Iudices Remissoriales demandata citatio contra Subpromotores ad dicendum contra omnia prædicta iura, necnon contra eosdem, & omnes alios, vt supra Deputatos ad præstandum Iuramentum *fol.* 31. *& ter.* prout fuerunt citati *à fol.* 31. *ad* 34. & pro loco audientiæ Iuramentorum, & examinis Testium fuit deputatum Palatium Episcopale, & pro loco loci Sacellum in eodem dicatum S. Benedicto, vbi quotidie peragitur Missæ Sacrificium, destinatæque horæ, reseruata sibi facultate variandi *fol.* 29. factáque de eisdem Relatione, ac reproductione, præmissâque protestatione Subpromotoris, die 15. eiusdem Mensis Septembris Iudices Remissoriales iura omnia vt supra producta admiserunt *à fol.* 65. *ad* 67. *ter.* & Iuramentum dicto Ioanni de Zaldua in Actuarium deputato detulerunt, fuitque illud præstitum ad formam nouissimorum Decretorum *fol.* 69. *tergo*, & subsequenter eidem Actuario Petrus Franciscus Guarnica Notarius rogatus consignauit omnia acta, & actitata vsque ad dictam diem *Proc. fol.* 70. *tergo*. Subindeque per acta dicti Actuarij ambo Subpromotores, ambo Cursores, Episcopus, & quatuor Dignitates Iuramentum præstitere ad formam in dd. nouissimis Decretis præscriptam, & etiam

& etiam Procurator Causæ de calumnia iurauit cum subsecuta attestatione Actuarij super rituali præstatione dd. Iuramentorum, vt videre est *à fol.* 71. *ad* 81. Ad dicendum contra huiusmodi acta fuerunt citati Subpromotores, quorum protestatione non obstante Iudices Remissoriales admiserunt *à fol.* 84. *ad* 88. dictumque Decretum Subpromotoribus intimatum fuit *fol. eod. ter.*

Postmodum deuentum fuit ad examen Testium, in eo semper seruata forma dictarum Literarum Remissorialium, præuia scilicèt aperitione Plici Interrogatorium, & respectiuè Depositionum, ac subsequenti eorumdem omnium clausura, & obsignatione in fine cuiuslibet actus examinis vsque ad completam receptionem examinum Testium etiam inductorum per Subpromotores; post quorum absolutum examen fuerunt 2. Martij 1686. aperta, & respectiuè registrata in *Processu fol.* 1814. prædictaque omnia fuerunt peracta cum interuentu Subpromotorum, qui etiam vna cum Testibus, ac omnibus Iudicibus Remissorialibus, & Actuario subscripserunt in fine cuiuslibet actus examinis præuia Inductione, Citatione, & Iuramento, vt respectu 18. Testium primo inductorum videre est *à fol.* 125. *vsque ad* 475. *tergo*. aliorum 19. Testium secundo loco Inductorum *fol.* 501. *ter.* prout habetur *à fol.* 541. *vsque ad* 969. *ter.* & pariter etiam respectu 23. Testium contentorum in tertia Notula *fol.* 973. videre est *à fol.* 1029. *ter. ad* 1431. Et tandem hoc idem seruatum fuit respectu 24. Testium iuxta præscriptum in nouissimis Decretis Sac. Congregationis per Subpromotores inductorum *Processu fol.* 1499. *&* 1672. vt *à fol.* 1521. *tergo ad* 1668. *& à fol.* 1693. *ter. ad* 1807. *ter.* Respectu verò sex Peritorum, de quibus *fol.* 1436. *&* 1833. vtpotè non inductorum in ratione Testium super meritis Causæ, sed in ratione Peritorum ad certum effectum, fuerunt seruata de iure seruanda, vt videre est *à fol.* 1438. *tergo ad fol.* 1443. *& à fol.* 1865. *ad* 1868. Hæc autem omnia distinctissimè habentur ex Tabella Testium, *Summ. num.* 7. & infra ex professo adnotabuntur agendo de secunda parte Dubij.

Post peractum verò examen 16. Testis è vita migrauit dictus Episcopus Cordubensis, prout ex attestationibus in Processu productis, & registratis *fol.* 497. *ter. & seq.* vnde facto loco Decreto Sac. Congregationis subrogatorio Vicarij Capitularis in vices dicti Episcopi, auditaque deputatione Francisci de Baño Montanez Canonicij Doctoralis Ecclesiæ Cathedralis Cordubensis in Vicarium Capitularem, prout ex attestatione Notarij, & Secretarij Capituli *Proc. fol.* 500. institit Procurator Causæ, vt dictus Vicarius Capitularis iurisdictionem acceptaret, qui Vicarius post sibi præsentatum, & lectum dictum Decretum Sac. Congregationis, iurisdictionem acceptauit *fol.* 485. qua occasione denuò ad cautelam acceptarunt etiam cæteri Iudices *fol.* 486. *ter.* Subinde dictus Vicarius suum præstitit Iuramentum, & præuia instantia Procuratoris pro deputatione alterius loci ad prosequendum Processum, fuit pro loco deputata Ecclesia Cathedralis Cordubensis, & pro loco loci Cappella Sanctissimæ Annunciatæ in ea existens cum destinatione dierum, & horarum ad prædictum examen, & alia peragenda, subsecutis intimationibus de huiusmodi Decreto tam contra Subpromotores, quàm contra Procuratorē Causæ, vt videre est *à fol.* 479 *tergo vsque ad fol.* 491. Dictus verò Vicarius semper interuenit, & se subscripsit sub quolibet actu vsque ad integrum complementum Processus.

Peracto omnium dd. Testium examine Procurator Causæ famulando

formæ

formæ præscriptæ in Remissorialibus de habenda visitatione omnium memorabilium, quæ facerent ad causam, quæque conferre possent ad perhibendum augmentum venerationis erga dictum Beatum, *dicto Summario num.* 2. institit destinari accessum ad Ciuitatem Montiliæ, à quo tamen se excusauit vnus è Iudicibus Remissorialibus Cantor dictæ Cathedralis ex legitimo impedimento malæ valetudinis, ac senectutis, de quibus exhibita Medici attestatione, cæteri Iudices Remissoriales excusationem admiserunt ipsis Subpromotoribus annuentibus, & die 5.eiusdem, præuia citatione,& protestatione Subpromotorum dictus Procurator obtinuit destinari dictum accessum pro die 8. Martij dicti anni 1686. *à fol.*1822. *ad* 1828. necnon deputari in dicta Ciuitate Montiliæ pro loco audientiæ, & aliorum Actorum Ecclesiam S. Iacobi, & pro loco loci Cappellam Animarum Purgatorij *fol.*1830. subsecutis intimationibus de huiusmodi Decreto Procuratori, Subpromotoribus, & alijs Officialibus *fol.*1831.

Prædicta die 8. Martij in dicta Ciuitate Montiliæ in loco loci deputato ad instantiam Procuratoris Iudices Remissoriales nominarunt tres Peritos, Architectum nempè, Fabrum Murarium, & Pictorem, eosque citari mandauit ad effectum, vt præuio eorumdem Iuramento, assisterent dictæ Visitationi suscipiendæ, suamque explicarent peritiam super qualitate, & vera existentia rerum visitandarum, earumque exacta descriptione, prout fuerunt citati, & iurati *Proc. à fol.*1832. *vsque ad* 1835. *&* *à fol.* 1864.*ad* 1868.*ter.* subindeque fuit destinata pro sequenti die de mane Visitatio Ecclesiæ, seù Cappellæ del Portico olim Domus, in qua ortum habuit B. Franciscus Solanus, intimataque per citationem Subpromotori, Procuratori, & Peritis *Proc. fol.*1839. *ad* 1840.*ter.* qui accessum habuerunt tempore vt supra præfixo ad dictam Ecclesiam, assistendo descriptioni eiusdem per Notarium factæ in parte tàm interiori, quàm exteriori coram Iudicibus Remissorialibus, interuenientibus Capitibus dictæ Ciuitatis repræsentantibus Regimen eiusdem *Proc. a fol.*1847. *ad* 1855.*ter.* fuit postmodum destinatus accessus ad instantiam dicti Procuratoris pro visitanda Cappella Beati Francisci Solani in Ecclesia Sancti Laurentij Franciscanorum extra Muros, & intimatus de mandato Iudicum Remissorialium prædictis omnibus, qui ad formam Decreti accesserunt ad eamdem Ecclesiam, dictaque Cappella fuit visitata, necnon Cubiculum, seù Cella existens in dicto Conuentu, vbi fertur peregisse Nouitiatum B. Franciscus Solanus cum descriptione tàm Cappellæ, quàm Cubiculi coram Iudicibus Remissorialibus, præsentibus Subpromotore, & Peritis, *Processu a fol.* 1855. *ter. ad* 1861. *ter.* ac successiuè præuia instantia Procuratoris, ac Decreto Iudicum Remissorialium, ipso Subpromotore assensum præbente, prænominati Periti, vt supra inducti, citati, & iurati deposuerunt super veritate rerum, & locorum, vt supra visitatorum, & descriptorum, subsecuta redditione rationis, prædicta videlicet omnia vt supra visitata, & descripta, fuisse & esse ordinata ad dicti Beati venerationem *Proc. a fol.*1861. *ter. ad* 1868. *ter.* Tandem Procurator institit pro accessu sequenti die 10. Martii ad Ecclesiam Parochialem Sancti Iacobi ad effectum describendi solemnitatem dicta die peragi solitam circa Fontem Baptismalem, è quo dictus B.Solanus fuit regeneratus, ad quem Fontem præuio Decreto, ac citatione vt supra, fuit per omnes prædictos factus accessus, descriptaque dicta Ecclesia, & solemnitas *a fol.*1871. *ad* 1874.

His peractis Montiliæ Iudices Remissoriales vna cum prædictis omnibus

Cor-

Cordubam reuersi *Proc. fol.* 1890. die 13. Martij accesserunt omnes ad dictam Cappellam Sanctissimæ Annunciatæ, in qua ad instantiam dicti Procuratoris Decretum interposuerunt pro exemplatione totius Processus originalis, deputatione Scriptoris, ac Notarij Adiuncti, & pro citatione eorumdem ad iurandum, necnon Subpromotorum ad interueniendum *Proc. fol.* 1924. *& seqq.* die verò 14. eiusdem præuijs dd. citationibus, ac earumdem reproductionibus, nec non protestationibus Subpromotorum Iudices Remissoriales deputarunt in Notarium Adiunctum Ioannem de Llara Vergas del Pozo; in Scriptorem verò Thomam Leonardum de Zayiaz; quibus notificata eorum deputatione ad instantiam dicti Procuratoris, Iudices Remissoriales mandarunt eisdem deferri iuramentum, prout fuit delatum dicto Scriptori *fol.* 1931. & successiuè consignatus Processus, assignato eidem termino 50. dierum ad exemplandum, & reportandum *fol.* 1932. *& seq.* iurauit quoque dictus Notarius Adiunctus præuia Priuilegij Notariatus exhibitione *fol.* 1934. *& seqq.*

Sed quia dictus Thomas Leonardus Scriptor in malam incidit valetudinē, prout de mandato Iudicum Remissorialium fuit recognitum; ij 27. Aprilis, præuia instantia Procuratoris, mandarunt recuperari dictum Processum tàm originalem, quàm hactenus exemplatum, & vtroque per eosdem bene viso, & recognito, ac non vitiato reperto, illum tradi mandarunt custodiæ dicti Actuarij, separato prius residuo Processus adhuc non exemplato, quod fuit consignatum alteri Scriptori Andreæ de Pineda Mellado nouiter deputato, citato, ac iurato, præuia instantia Procuratoris, & Decreto Iudicum Remissorialium, eique assignatus terminus ad reportandum 13. dierum *Proc. a fol.* 1938. *ad fol.* 1946. *ter.* Successiuè Iudices Remissoriales ad instantiam Procuratoris mandarunt interim inchoari auscultationem Processus in parte exemplata, & pro ea assignarunt diem 29. Aprilis, ad quem effectum mandarunt citari Subpromotores, Procuratorem, & Adiunctum *Proc. fol.* 1947. *& seq.*

Quamobrem dicta die 29. Aprilis coram dictis Iudicibus Remissorialibus, & interuenientibus omnibus vt supra citatis, fuit incepta auscultatio, alta, & intelligibili voce inter Actuarium, & Adiunctum, & per plures sessiones prosecuta à dicta die vsque ad diem 11. Maij, semper cum interuentu prædictorum omnium, vt videre est *à fol.* 1949. *ter. vsque ad fol.* 1982.

Die verò 13. Maij ad instantiam Procuratoris, & de mandato Iudicum Remissorialium, reportato per nouum Scriptorem dicto residuo Processus exemplato, vna cum suo originali, præuia citatione, ac interuentu Subpromotorum diligenter recognito, ac benè perpenso, nullaque ex parte vitiato per eos reperto, mandarunt deueniri ad vlteriorem auscultationem, ac correctionem eiusdem, ac interim fieri consignationem vtriusque dicto Auctuario *Proc. à fol.* 1983. *ad* 1986. quo peracto, præuijs pariter instantia Procuratoris, & Decreto Iudicum Remissorialium, præsentibus Subpromotoribus, fuit reassumpta modo, quo supra, prosecutio dictæ auscultationis, & ea continuata tam de dicto residuali Processu, quàm de actis subsecutis à die 13. Maij vsque ad diem 17. eiusdē, qua die dicta auscultatio fuit absoluta, & subsequenter facta atteftatio ab vtroque Notario super concordia originalis cum copia *Proc. à fol.* 1986. *ad fol.* 1995. quorum attestationes subinde ad instantiam Procuratoris, & præuio Iudicum Remissorialium Decreto, fuerunt factæ, & per extensum registratæ in *Proc. à fol.* 1998. *vsque ad* 2002. prædictas verò

rò attestationes subsequitur Decretum Iudicum Remissorialium, qui ad instantiam dicti Procuratoris, ac præuia citatione Subpromotorum declararunt iisdem præsentibus dictam auscultationem fuisse, & esse fidelem, ritè, recteque factam, dictumque transumptum eamdem fidem facere, ac si esset originale, & de dicto Decreto fuit facta notificatio, tàm Procuratori, quàm Subpromotoribus *Proc. fol.*2004.

Die 18. Maij præuia instantia Procuratoris, & citationibus Subpromotorum, Iudices Remissoriales nominarunt in Portitorem dictum P. Franciscum Rossellon, & in casu impedimenti eiusdem Patrem Antonium Giron Ordinis Min. S. Francisci, qui coram dd. Iudicibus Remissorialibus, & Subpromotoribus iuramentum præstiterunt de fideliter deferendo dicto Processu ad Vrbem in actis Sac. Congregationis in casu, quo quis eorum hoc munus assumeret *Proc. à fol.*2005. *ad* 2010.

Die verò 20. Maij Procurator institit pro exemplatione residualiũ Actorũ Processus, eorũq; auscultatione, & correctione adhibita finali subscriptione, & sigillo omnium Iudicum Remissorialium. Item institit, vt mandaretur Actuario fieri attestationem super veritate dictarum subscriptionum, & sigillorum, & vlteriùs quòd duo alij Notarij deputandi ab eisdem Iudicibus Remissorialibus facerent aliam iuratam attestationem super fide præstari solita scripturis dicti Actuarij, cum subsequenti legalitate Ordinarij loci super eo, quod tam Actuarius, quàm Notarius sint tales, quales se fecerunt: instando denique pro clausura, obsignatione, & consignatione dicti processus exemplati vni ex Portitoribus nominatis, ac pro repositione Originalis in Archiuio Episcopali *Proc. fol.*2011. *& seq.*

Præuijs igitur citationibus Subpromotorum, ac Iudicum Remissorialium Decretis, die 22. Maij fuit facta auscultatio, & correctio modo prorsus, quo supra, Residualium Actorum, subsecutis desuper attestationibus Actuarij, & Adiuncti fidem facientium de concordia copiæ cum originali, & respectiue declaratione Iudicum Remissorialium, dictam scilicet residualem auscultationem fuisse, & esse fidelem, ritè, recteque factam *Proc. a fol.* 2013. *ad* 2020. *ter.* Iudices Remissoriales verò subscripserunt dictam copiam autenticam Processus, proprijsque muniuere sigillis, de quarum subscriptionum, & sigillorum veritate, præuia illorum recognitione, & descriptione fidem fecit dictus Actuarius *Proc. fol.*2021. *terg. & seqq.*

Et tandem die 24. Maij præuia notificatione facta duobus Notarijs, nempè Thomæ Carolo Morono, & Petro Francisco de Guarnica, nec non Gubernatori Episcopatus Cordubensis Sede vacante Iudici Ordinario *Proc. fol.*2016. *ter. & seq.* dicti duo Notarij fidem iuratam præstiterunt, dictum nempè Actuarium Ioannem de Zaldua & Gomez esse talem, qualem se fecit, eiusque scripturis, & sigillo, prius per eosdem visis, & recognitis præstitam fuisse, & præstari fidem, & post prædicta omnia in fine subsecuta fuit dicta petita legalitas Prouisoris Episcopatus Iudicis Ordinarij Sede vacante *fol.*2028.

Et ne vlla ex parte Iudices Remissoriales redargui possent de defectu in obseruantia formæ præscriptæ ab hac Sac. Congregatione, tam vnitim, quàm seiunctim litteras Responsiuas Sac. Congregationi directas consignarunt vna cum Processu dicto P. Francisco Rossellon huius causæ Procuratori, & Portitori, vt supra deputato *Proc. a fol.* 1. *ad* 10. qui dictum Processum vnacum dictis litteris clausum, & sigillatum in Actis Sac. Congregationis exhibuit 21. Nouembris 1686. *Proc. fol.* 11. *terg.*

Ex

Ex quibus pleniſſimè redolet legitima, atque valida confectio Proceſſus, ac omnimoda obſeruantia tam dictarum Litterarum Remiſſorialium, & Compulſorialium, quàm eorum, quæ de iure, & conſuetudine ſeruari debent, de quibus apud Veſtr. *lib.6.cap.12.n.14.& cap.vlt.a nu.7.* Saluſt. *lib.3.cap.14.* Ridolphin. *par.1.cap.12.a n.24.ad 63.*

QVo verò ad ſecundam partem Dubij, ritualis nempè Teſtium examinis, id oculàriter patet tam reſpectu noſtrorũ Teſtium ex Tabella data *Summario num.7.* quàm reſpectu Teſtium inductorum ad inſtantiam Subpromotorum, ex eadem Tabella *litt. A.* in qua habetur omnes Teſtes fuiſſe inductos, citatos, & iuratos iuxtà formam à nouiſſimis Decretis præſcriptam, reiteratis citationibus, & iuramentis in quolibet actu eorum examinis. Quinimo hæc eadem ſeruata fuiſſe quoad ſex Peritos Deputatos pariter dignoſcitur ex dicta Tabella *litt. B. & C.* Aduertendo etiam, quod prædicta examina fuerunt ſemper recepta diebus, horis, & in locis ſacris per Iudices Remiſſoriales deſtinatis, ſemper cum interuentu, & ſubſcriptione dd. Iudicum Remiſſorialium, Subpromotorum, Actuarij, & Teſtium, primò iuxtà Interrogatoria, & deinde ſuper Articulis ſecretò, diligentèr, & ſeparatim iuxta Textum *in cap. Venerabile de Teſtibus, ibique Gloſſ. & DD.*

QVoad tertiam partem Dubij, nempè Iurium compulſationis, hanc cõſtat fuiſſe ritè, rectè, & legitimè factam; Inchoando etenim à Cruce lignea, quæ fuit, dum viueret, Beati Solani, quaque plura fuerunt patrata miracula, necnon depoſitione duorum Teſtium facta Matriti ſuper identitate dictæ Crucis die 3. Nouembris 1685. de qua *Proc.fol.994.ter.* apparet die 7. Ianuarij 1686. vtramque fuiſſe à Procuratore exhibitam coram Iudicibus Remiſſorialibus, aſſiſtentibus Subpromotoribus in dicta Cappella Sanctiſſimæ Annunciatæ Cathedralis Corduben. eumdemque inſtetiſſe pro recognitione quoad Crucem, & pro admiſſione quoad atteſtationem; ſuper quibus Iudices Remiſſoriales decretum interpoſuerunt, *Proc. à fol. 992. ter. ad 994.* Septima verò die Februarij, præuia eiuſdem Procuratoris inſtantia Iudices Remiſſoriales admiſiſſe pro dictæ Crucis recognitione tres Peritos Fabros lignarios nominatos, & præuijs citationibus, ac interuentu Subpromotorum, necnon citationibus eorumdem Peritorum, die ſubſequenti hos fuiſſe examinatos ad dictum effectum præſtito priùs per quemlibet eorum iuramento *Proceſſ. à fol. 1434. ter. ad fol.1443.* & poſt factam per eoſdem Peritos recognitionem dictæ Crucis, hæc de mandato Iudicum Remiſſorialium die 2. Martij fuit Procuratori reſtituta, ab eodem reportata recepuťa *à fol.1809.ter.a d fol.1813. ter.*

Quo verò ad compulſationem quarumdam Particularum Libri per Procuratorem exhibiti continentis Relationem Feſtiuitatis Limę celebratæ occaſione Beatificationis Beati Solani conſtat ad inſtantiam dicti Procuratoris Iudices Remiſſoriales die 12. Martij exiſtentes in dicta Cathedrali Cordubenſi mandaſſe citari Subpromotores pro illius admiſſione, qui ſucceſſiuè vna cum Iudicibus Remiſſorialibus dictum librum diligenter inſpicientes, illumque recognoſcentes abſque vitio, aſſenſum præbuerunt illius compulſationi, & pro ea Iudices Remiſſoriales interpoſuere decretum, ac pro extractione dictarum Particularum è dicto libro deputarunt Notarium Actuarium, & Ioannem de Llara Notarium, qui poſt factam huiuſmodi extractionem teſtati ſunt fuiſſe legitimè factam *d.Proceſſ. à fol.1892.ad 1895.* Die verò 13. eiuſdem inſtante Procuratore pro auſcultatione dd. Particularum, vt ſupra extractarum cum dicto libro

ori-

originali, & pro interpositione Decreti Iudicum Remissorialium, de horum ordine fuit facta exhibitio, ac auscultatio coram eisdem, subsecuto decreto tam quoad ritualem auscultationem, quàm quoad restitutionem dicti libri, & insertionem in Processu Iurium compulsatorum, *Process. fol.* 1922. *& seq.*

Postremò quoad Libros, & Quaternos continentes acta Capitularia Ciuitatis Montiliæ habita ab Anno 1646. vsque ad Annum 1685., reuocari nequit in dubium eorum legitima compulsatio. Nam die 8. Martij existentibus Iudicibus Remissorialibus vna cum Subpromotoribus Montiliæ in Cappella Animarum Purgatorij, quæ est in Ecclesia Sancti Iacobi, Procurator institit citari Didacum Valerium de Molina Scribam maiorem Capituli, & Regiminis dictæ Ciuitatis Montilianæ ad exhibenda dicta monumenta in ea parte, quæ concernit Venerationem dicti Beati Solani, & ijdem Iudices mandarunt citari dictum Scribam, & per eum exhiberi dicta Acta Capitularia in loco audientiæ habendæ die sequenti ad effectum extrahendi particulas ad causam facientes *Processu fol.* 1833., *& seq. & fol.* 1837. Executa dicta citatione contra dictum Scribam *fol.* 1838. nec non alia contra Bartholomæum Albam de Sancio, qui fuit Scriba ante dictum Didacum Valerium, die 9. Martij comparuit, & exhibuit dictum Librum, & Quaternos, quos priùs recognouerunt Iudices Remissoriales pro legalibus, & non vitiatis, & subindè mandarunt dictis Scribis Bartholomæo, & Didaco, vt præuio Iuramento etiam ipsi eos recognoscerent, ac super eorum veritate attestationes iuratas emitterent *Processu fol.* 1842. *& a tergo*, quæ attestationes habentur registratæ in dicto *Processu fol.* 1843. *& seq.* subsecutis alijs tribus attestationibus pariter iuratis Scribarum publicorum dictæ Ciuitatis super legalitate attestationum, & recognitionum dd. Bartholomæi, & Didaci Valerij *fol.* 1845. *a tergo*. Hinc deputatis per Iudices Remissoriales pro dicta extractione facienda Actuario, & Ioanne de Llara Vagas del Pozo Notario *fol.* 1846. eaque facta de quibusdam Capitulis, quorum tenor habetur *Processu à fol.* 1876. *ad fol.* 1886. *à tergo*, cum subsecuta attestatione vtriusque Notarij super fideli, & legitima extractione, de qua *Processu fol.* 1875. *à tergo*, die 11. Martij ad instantiam Procuratoris Iudices Remissoriales mandarunt exhiberi Iura extracta vna cum Originalibus, quibus per eosdem recognitis mandarunt fieri auscultationem Iurium compulsatorum, eaque peracta, declararunt illam ritè, & rectè factam, iniuncta restitutione Originalium, prout restituta fuerunt dicto Scribæ *Processu à fol.* 1889. *ad* 1891. *à tergo*.

Ex his igitur, cùm nil remaneat desiderandum de requisitis necessarijs ad legitimam Iurium compulsationem, iuxta praxim, de qua apud Vestr. *dicto lib. 6. cap.* 1. *a num.* 14. Salust. *dicto lib.* 3. *cap.* 14. Ridolphin. *dicta par.* 1. *cap.* 12. *num.* 48. Contelor. *de Canonizat. Sanctor. cap.* 24. *per totum*, vtique retardanda non videtur fauorabilis resolutio, prout supplicatur.

Quare &c.

Petrus Paulus Gerardus Sacri Palatij Apostolici Causar. Patron. Colleg.

Reuisa

Andreas Pierius Subpromotor Fidei.